

tamen ea per se sola ad eam rem non sufficebant. neque enim dubitari potest, quin multa ab eo omissa, quaedam vero etiam parum accurate indicata sint, in quibus apographa, in primis Parisinus codex et Laurentianus 51, 4 (nam reliquorum minor fides est), rectius veterem scripturam servaverunt. huc accedit testimonium Victorii, qui dissentientibus a Politiano apographis ea quae in manu scriptis libris nunc leguntur saepius lectionibus ex vetere codice receptis confirmat. his igitur auctoribus adhibitis, cum facile appareret, quid errori vel Politiani vel librariorum tribuendum esset, plerumque certo constitui poterat, quid in archetypo scriptum fuisset. nonnullis tamen locis ea discrepantia inde videtur repetenda esse, quod, cum prima scriptura in vetere codice correcta esset, alii priorem scripturam secuti erant, alii posteriorem. itaque in indicanda scriptura archetypi hac ratione usus sum, ut quae comparatis inter se lectionibus apographorum et excerptis Politiani et editione Victorii in vetere codice scripta fuisse mihi apparebat ponerem; ubi opus esse visum est, dissentientes Politiani et apographorum lectiones uncis inclusas addidi vel, ubi minus certum iudicium erat, utramque lectionem iuxta posui. in quo ea quae a Politiano in principe editione mutata non erant adscripta *V* littera, quae ex codice adnotaverat nota nominis *Pol.* significavi. quamquam neque omnia, in quibus a Politiano testimonia apographorum dissentiebant, adnotavi, sed multa, in quibus manifestus erat Politiani vel librariorum error, omisi, neque in his, in quibus utramque lectionem posui, causae, quibus commotus alterutri testimonio maiorem auctoritatem tribuerim, indicari potuerunt.

Emendationis studia antiquissima in Parisino et in Mediceo codice apparent. ii enim cum saepe dissentientibus reliquis libris inter se consentiant, tum pauca, quae in illis corrupta sunt, emendata exhibent; in aliis unus Mediceus codex emendatam lectionem praebet. ea omnia igitur cum ita comparata sint, ut coniectura facile inveniri potuerint, non ex antiqua incorruptae scripturae memoria repetenda, sed emendationis studio tribuenda esse dico. nam ex arche-